



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Dominicum diem & Parasceuae diem colendum esse lege sancitur. Cap.
XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

Quòd in idolorum fanis, lege vetuit suas picturas poni.

CAP. XVI.

HOc modo cum in tabellis se Deo supplican- tem repre- sentasset : lege cauit ne ipsius effigies in idolorum tem- plis poneretur : ne ipsa tabella vel minima lineamen- torum parte propter vetitorum idolorum errorem, labem ali- quam contraheret.

Preces habitæ in palatio, & sacrarum scriptu- rarum recitatio. CAP. XVII.

SED his quidem multo magnificentiora contem- plari po- tes, si animaduertas quemadmodum in ipsis regis eccle- siæ Dei formam instituerit, populo in ecclesia congrega- to ipse studiose exordians. Sumptis enim in manus libris, vel sacrarum literarum contemplatione diligenter animum adhibebat, vel constitutas cum vniuerso ecclesiæ cœtu preces reddebat.

Dominicum diem & Parasceuæ diem colendum esse lege sancitur.

CAP. XVIII.

IDoneum verò precationi tempus salutarem diem domi- nicum constituebat, quippe qui tum verè præcipuus est, tum haud dubie primus. Iam huius vniuersæ ædis custo- des diaconi & ministri Deo consecrati, & grauitate vitæ om- niq; virtute ornati assignabantur. Satellites etiam fidi corporis custodes, beneuolentia erga principem & fide ar- mati, regem ipsum piorum morum præceptorem sequeban- tur : cum ipsi perinde salutarem & dominicum diem vene- rarentur & preces ab imperatore descriptas eodem die per- soluerent. Hoc idem vt facerent, omnibus persuasit beatus Princeps : quasi huc preces suas retulisset vt sensim & pe- detentim omnes mortales ad Dei cultum traduceret. Qua- propter statuit vt cuncti Romano imperio parentes, diebus de Seruatoris nomine nuncupatis ab omni opere feriaren- tur : vt etiam dies, qui sabbatum antecederent, veneraren- tur : ob memoriam vt mihi videtur earum rerum, quæ iis diebus à communi omnium nostrum Seruatore gereban- tur.

O o 5 Quem-